

§. IX.

Ex his tandem parere existimamus, libros recti esse epicedia in libris conscripta, ad quæ scriptores sacri, tanquam ad documenta rebus gestis coæva, provocarunt. Sed nobis obstat sententia *Scipion. Sgambati*, qui in *Archiv. V. T. Tit. XV. p. m. 265.* nullum his in locis librum allegari existimat: *Dici quidem posset*, inquit, *nullum hic citari librum, sed esse circumlocutionem, ac phrasin talem, ac si diceret: Nonne hoc scriptum est vere? Nam illa verba Hebraica הלא היא כתובה על ספר הישר* facile sic verti possent: *Nonne hæc historia scripta est juxta narrationem rectam? quod esset omnes salebras saltu evadere.* Sed longe diversum sensum alii ex ea phrasi hauriunt, qui eam accuratius inspiciunt. Deuter. XVII, 18. futuris Israelitarum Regibus præscribitur, ut legem sibi describant in libro quodam in præsentia sacerdotum & Levitarum, ubi eadem phrasis occurrit: וכתב לו את משנה התורה הזאת על ספר: & describat sibi exemplar legis hujus super libro. quæ inepte verteres: & describat sibi exemplar legis hujus juxta narrationem. Scribere super libro, Latinis est, scribere in libro. Quare & illa Josuæ vertenda sunt: *Ecce hoc scriptum est in libro recti.* Ratio, cur הלא in neutro vertatur hoc, redditur a *Glassio L. III. Tr. I. Can. XIX. p. m. 603.* quem vide. Uti itaque 1. Reg. XIV. v. 19. liber allegatur his verbis: *Ecce illa scripta sunt super libro rerum dierum* h. e. Annalium; sic h. l. peculiarem quoque librum allegatum esse, persuasimus. Omne dubium tollitur, si 2. Sam. I, 18. inspiciamus: ibi enim sacer scriptor dixit: *Ecce hæc scripta est super libro recti*, ubi voce הלא hæc respexit, ad antecedentem lamentationem קינר ut sensus fit: Lamentatus est David lamentationem hanc super Saullem & Jonathanem, eamque recitavit, ut excitaret Judæos ad tractandum arcum, ecce illa (lamentatio) scripta est in libro recti. Cui statim ipsum lamentum subjicitur, ex libro recti desumptum.

§. X.